

Cap. XXXXII.

UT POST COMPLETORIUM NEMO LOQUATUR.

Omni tempore silentium ¹⁾ *debent studere monachi, maxime tamen nocturnis horis, et ideo omni tempore, sive jejunii sive prandii, mox ut surrexerint a coena, sedeant omnes in uno, et legat unus collationes vel vitas patrum aut certe aliquid, quod aedificet audientes.* Rectum ordinem tenuit in hoc loco S. Benedictus in eo, quod dixit, quibus horis oportet refici fratres perveniens ad illum locum, ubi dixit: *ipsa tamen vespera sic agatur, ut lumine lucernae non indigeant fratres reficientes, sed luce adhuc diei omnia consummentur*, et subjunxit hoc capitulum, cujus clavis dicitur: *ut post completorium nemo loquatur.* Nam quid aliud melius potuerat dici, quam dictis horis diurnis, quibus reficiendum erat, statim diceret,²⁾ ut post completorium nullus loqui debuisset, et diceret²⁾ etiam, quomodo ad completorium agendum venire debuissent, eo quod completorium cum luce agendum est. Et postquam dixerat mentionem lucis, ut cum luce omnia agerentur, subjunxit illico dicens: *Omni tempore silentium debent studere monachi, maxime tamen nocturnis horis.* Superius enim diximus: ubi silentium dicit regula, de suppressa voce intelligitur dicere, ubi vero maxime, sicuti hoc loco, dicit, non vult, ut loquatur, sicut in refectorio dicit. Sed hoc notandum est, quod, si nocturno tempore damnum viderit quis tale aut necessitas fuerit, quam non potest expectare, ut congruo tempore loquatur, hoc non interdicit regula loqui statim; verbi gratia (si) viderit fratrem fugientem aut aliquid damnum vel aliquod grave peccatum, debet significare priori. Tria enim inspicienda sunt tempore locutionis, i. e. damnum, necessitas tam spiritualis quam corporalis, atque interrogatio prioris, quae omnia, si altius consideraverit, ad interrogationem referuntur, quia sicuti prior interrogat, ita etiam damnum et necessitas interrogare cognoscuntur. *Nocturnis horis* cum dicit,

¹⁾ silentio. Cod. Fürstzell.

²⁾ dicere (?).